

Hermann Christoph Engelken

Programma Passionale, De Paulo, Gentium Doctore, cognitionem Christi crucifixi omnibus aliis rebus antepone[n]te, I. Cor. II. 2 Quo Ad piam passionalis temporis celebrationem, decentem crucifixionis Christi meditationem, ac vitam Christiano dignam ... Cives Academicos ea, qua pollet autoritate, excitat ac hortatur

Rostochii: Typis Joh. Wepplingi[i], [1722?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1004000839>

Druck Freier  Zugang





T. 512.

1722. Fasten.

~~M-1256.~~ 171.

Q. 1722.

PROGRAMMA PASSIONALE,

De
Paulo, Gentium Doctore, Commemora-
tionem CHRISTI crucifixi omnibus
aliis rebus anteposente



1. Cor. II. 2.

Quo

*Ad piam passionalis temporis celebrationem,
decentem crucifixionis Christi meditatio-
nem, ac vitam Christiano dignam,*

Profligata omni Bacchantium protervia, omni Grassantium
licentia, omni boantium fœditate,

CIVES ACADEMICOS

Ea, qua pollet autoritate, excitat ac hortatur

HERM. CHRISTOPHOR.

S N O E R E N

SS. Theol. Doct., Ejusque Prof. Publ. Ord., nec non
ad Æd. Joh. Past.

Hodie **ACAD. ROSTOH,**

RECTOR.

ROSTOCHII,

Typis JOH. WEPPLINGI, SEREN. PRINC. & ACAD. Typogr.

M. 1256 171



11
703
ppropinquat, *Cives Opti-*

mi! Appropinquat **TEMPUS PAS-**
SIONALE, quo memoria passionis Christi, to-
tius mundi Salvatoris, solemniter renovatur;
TEMPUS JAM OLIM CELEBRATISSIMUM,
ita enim *Socrates Histor. Ecclesiast. Lib. V. Cap.*

XXII. Festum Pascha, inquit, & Dominica pas-
sionis memoriam Majores nostri, prout visum fuit, ex consuetudine celebra-
runt; Et quem latet Synodi Matisconensis II, Sec. VI. habita, decretum,
ita efformatum Canone II: Pascha nostrum, (sub quo Veteres etiam Hebdoma-
dem magnam, die Martis & Woche, comprehenderunt) in quo summus
Sacerdos & Pontifex pro nostris peccatis immolatus est, omnes debemus festi-
uissime colere. Vid. Caranza Summam Conciliorum p. m. 385; imò Ignatius,
Sec. II. lumen, in Epistola ad Philadelphenses, jam hebdomadis magnae,
solemniter celebratae, mentionem injicit. Vid. Hildebrandum de Diebus Festis
p. m. 61, & B. Jo. Frid. Mayeri Diss. de Hebdomade magna; TEMPUS
NOTATU DIGNISSIMUM, quippe cujus feriis pii Christiani Ethnico-
rum *Bacchanalia* converterunt in *Passionalia*. Cum nim. Ethnici olim in
honorem Bacchi, nefandam agerent festivitatem, larvati hinc inde discor-
rerent, promiscuam libidinem exercerent, atque teterrima patrarent fa-
cinora; Christianis visum fuit, instituire memoriam & meditationem pas-
sionis Christi. Unde adhuc hodie pia quadam Ecclesie ordinatione ea ipsa
Dominica, in quam Bacchanalia incidunt, Evangelium Christi tractatur,
quo de passione & morte sua Apostolos pramonet; uti loquitur Matth. Dresse-
rus in Libr. de Diebus Festis p. m. 1., qui à pag. 49. consuli meretur; TEM-
PUS LUCTUOSISSIMUM, si passionem Christi vehementissimam spectas.
Sanè Salvator noster malignorum truculentia expositus, flagellis, verberis-
bus, sputo, &c. ita dehonestabatur, ut Romanus Prætor, *Pilatus*, vel
juxta alios, ipse *Christum*, erumpere coactus fuerit: *Ecce homo! Joh. XIX. 5;*
Hinc Patres *Concilii Toletani IV*, Sec. VII. congregati, ajunt, quod totum
Parasceves diem (den stillen Freytag) universalis ecclesia propter passionem
Domini in mœnore & abstinentia peragat; TEMPUS, si fructum passio-
nis Christi, ad nos redundantem, respicis, LÆTISSIMUM. Quid enim
nitidiori nos lætitia perfundere poterat, quam redemptio nostri ac libera-
tio

tio ab aeterno infortunio per pretiosum Christi sanguinem. Hinc Chryso-
 stomus diem *εὐφροσύνης* non tam *luctus*, quam *letitiae ac triumphi diem*,
 utpote in quo orbis à Satanae ac inferni vinculis fuerit solutus, esse censet,
 notante *Dalleo in Opere de Quadragesima*, apud *Cass. Calvörum in Rituali*
Ecclesiast. Part. II. p. m. 319. Nec minus Ecclesia canere gemit: *Jesus*
deine Passion ist mir lauter Freude &c. Appropinquat itaque *tempus*
hocce passionale. An ergò illud absque debito cultu sinemus prætervolare,
 ac abire? Minime Gentium! Inspiciamus potius divum Gentium Apосто-
 lum, Paulum, quippe, quem nunquam non festum passionale celebrasse
 accepimus, dum grata crucifixionis Christi recordatione, nil habuit prius,
 nil antiquius, erumpens *1. Cor. II. 2: ἵ ᾧ ἔκρυψε τὴν ἐπίστασιν τοῦ ἰσχυροῦ,*
ἢ μὴ ἰσχυρὸν γινώσκων, καὶ τῶν ἐκτερωμένων, i. e. Non arbitratus sum scire
quicquam inter vos, nisi Jesum Christum, & hunc crucifixum. PAULUS
 est, qui heic, actus à Spiritu S., loquitur, feriasque quasi passionales agit.
Nomen, si spectas, *parvum* id designat. *Nominis omen* si desideras, *par-*
vus erat; *Parvus aetate*, tempore vocationis, quia Adolefcens ad Apосто-
 latum fuit vocatus, *Act. VII. 98, Cap. IX. 15. 19;* *Parvus statura & voce*,
 quia exigua statura, voceque exili gaudebat *2. Cor. X. 10;* *Parvus hu-*
militatis confessione, quia se vocat *Apostolorum minimum 1. Cor. XV. 9.*, non
 solo verbo, prouti *Romanus Pontifex* se appellare amat *Servum Servorum*,
 sed ex animi sententia. Vid. *Hilleri Onomastic. Part. II. p. m. 904.* Eum
 antea crudelissimum Christianorum egisse persecutorem, qui sanguinem
 eorundem vehementer sitiebat, postea verò miraculose conversum, ac ex
 infensissimo Evangelii hoste *Promachum* ejusdem & *Præconem* dexterrim-
 um factum esse, sacræ loquuntur paginæ *Act. VII. 11X. & IX.*, & sic qui-
 libet rerum sacrarum non plane imperitus, oppido callet. Quomodò
 conversus hic DEI Vir postmodum, præsertim inter Gentiles, officio functus
 sit, constat ex *Gal. II. 9*, ubi expresse memoratur, inter *Jacobum, Petrum*,
 ac *Johannem* ex una parte, & *Paulum ac Barnabam* ex altera, datis dex-
 tris, ita convenisse, ut illi inter Judæorum nationem, hi vero (*Paulus*
 nempe & *Barnabas*) in agmine Gentilium, efficacissimum verbi divini se-
 men spargerent. Quam alacriter, quam celeriter, quam feliciter præ-
 laudatus Gentium Doctor spartam sibi conceditam executus sit, testantur
Acta Apostolorum infallibilia, aliæque antiquitatis monumenta haud con-
 temnenda. Sanè *Theophylactus Huic Nostro alas tribuit igneas*, quibus o-
 mnes mundi plagas pervolarit, *Chrysostemus Solis currentis titulum* indit,
 quia *vix triginta annorum spatio, Romanos, Persas, Medos, Indas, Schy-*

tas, Aethiopes, Sauromatas, Saracenos &c. peragravit, & splendidissimis
 Evangelii radiis collustravit. Vid: *Job. Schutzi Apparatum Nominum propr.*
Tom. III. p. m. 1311. Qui vero prolixum itinerum Paulinorum catalogum
 desiderat, adeat *Buntingii Itinerarium sacra Scriptura Part. II. p. m. 83. sqq.*
Gabriel. Rebhanii Ausrechnung der Wanderschaft Petri und Pauli,
& Lightfooti Comm: in Acta, Opp. Tom. II. p. m. 800. sq. Mortem Apostoli
 quod concernit, dubio caret, eundem Romae capite, Nerone Imperatore
 ita iubente, multatum esse, quippe quem vitae exitum is, Romae secunda
 vice captivus, facile praeviderat 2. *Tim. IV. 6. sqq.* Vid. *Ensebii Histor. Eccles.*
Lib. II. Cap. XXV. p. m. 67. Praeterea *Marulus Lib. VI. Cap. XVI. apud*
B. Waltherum in Officina Biblic. S. 1103. p. m. 464. memoriz prodicit,
Pauli caput, a corpore dissectum, ter per humum profuisse, ter Jesu
 Christi nomen invocasse, tresque fonticulos, qua saliendo terram contig
 git, scaturire fecisse. Sed fides sit penes Autorem! Lege hic *Herman*
ni Witsii Praelectiones de Vita & rebus gestis Pauli Apostoli, quae habentur
 In *Ejus Meletematibus Leidensibus pag. 1. ad pag: 246.* Hic, brevi penicillo
 delineatus, Apostolus passionem Christi auro contra caram habet, de ea
 impense sibi gratulatus, illam intima cum voluptate mente sua volvens,
 ejus notitiam ac memoriam omnibus aliis rebus anteponeus. *Non arbi*
tratus sum, inquit, scire quicquam inter vos, nisi Jesum Christum, & hunc
crucifixum. Paulus noster in literis erat versatissimus, atque egregiam
 sibi variarum rerum scientiam indefessa compararat industria. Quem latet,
Hanc Nostrum Hierosolymis incubuisse Studiis, ac sub fidelissimi Doctoris,
 GAMALIELIS scilicet, ductu patrias leges, ac religionis judaica intimos
 recessus edoctum esse? Testatur ea de re ipse *Paulus Act. XXII. 3.* Quem
 fugit, Hunc Nostrum *Tarsi, civitate Graeciae, a Parentibus Judaeis*
 fatum & educatum esse? Enarrat id iterum ipse *Paulus l. c. Tarsum au*
 tem Urbem Academicam fuisse, haud improbabilliter asserit *Lightfootus in*
Comment: in Actor. Cap. VI. 8., Opp. Tom. II. p. m. 709, scribens: *In*
Academia Graeca educatus fuerat Paulus ab ipsa pueritia, Tarsensi scil., nam
Tarsum rite & Academiam & Graecam vocaveris, fide Strabonis &c., mox
 quoque, paucis interjectis, subjiciens: *Hinc minus mirum, si Paulus litera*
tura Graeca floreret, Poetasque istius generis in sermonibus suis allegaret, a
teneris enim unguiculis in tali Academia, ut videtur, educatus. Quis ne
 scit, Hunc Nostrum varia lectionis Autorum Graecorum specimina edidisse?
 Apparet id inde, quia provocavit ad sententias, *Euripidis 1 Cor. XV. 33,*
Arati Act. XVII. 28, Epimenidis, Poetae Cretensis Tir. I. 12. Vid: *Godof*
redi Olearii Diss. de Scriptis profanis a Paulo allegatis, hab. Lips. An. 1701.

& DD. Rollii *Dissert. de Paulo Polyhistoro*. Etiam si autem Paulus insignem
 eruditionis tam judaicæ, quam Græcæ, apparatus sibi conquiritur; nihilo
 tamen secius lubentissime profitetur, se non videri sibi aliquid scire, nisi *Jesusum*
Christum, & hunc crucifixum. Ad hæc de JESU pro nobis nato, passio, cru-
 cifixio &c. sapientia omnem profanam superabat literaturam, ut, si illam
 ignorasset, nihil se scire judicaret. Bene B. Balduinus in *Comment. ad h. l.*
p. m. 298. commentatur: *Videtur (Paulus) distinguere inter Christum &*
crucem Christi. Plura in Christo consideranda sunt, quam ejus passio, nimis
 omnia, quæ ad personam & officium ejus pertinent. Ubi ejusmodi rerum lon-
 ge maximarum thesaurus aperitur, ut & quod doceamus, & quod discamus,
 nunquam deesse possit. Idcirco Paulus, licet in Scholis Philosophorum edu-
 catus, omnem tamen doctrinam philosophicam pro nihilo ducit, respectu hu-
 jus sublimissimæ scientiæ de Christo, quæ & majestate & militare sua ceteras
 omnes longo post se intervallo relinquit. Sane qui Christum crucifixum
 ignorat, salvari non potest, *Joh. XVII. 3.* Quidni ergo scientia de Christo
 crucifixo exoptatam reportaret palmam, aliisque cognitionum generibus
 longè antecelleret? Quando autem celsissimus Gentium Apostolus pie
 gloriatur, se Christum crucifixum scire, non nudam videtur indigitare noti-
 tiam, sed cum emphasi talem, conjunctam nempe cum vera in Christum
 crucifixum fiducia, ac salutari beneficiorum Christi applicatione, quando-
 quidem non solum *verba notitia* in tam emphatico sensu (sibi) consueve-
 runt, ut plus, quam meram alicujus rei perceptionem intellectualem, indice
 indigent digito, *Pf. I. 6. Matth. VII. 23. &c.*, sed etiam expressè
 Christus, affirmans, salvandum debere cognoscere Patrem & Filium *Joh.*
XVII. 3., verbum: *Cognoscere*, intellectum vult de cognitione, conjuncta
 cum intima cordis in DEUM, ut ita loquat, recumbentia. Summa: Apo-
 stolus Paulus id sibi gloriæ ducit, quod Christum crucifixum rite agnoscat,
 ejusque beneficia in usum suum, per Spiritus S. gratiam, vertat. *Judæis &*
Gentilibus Christus crucifixus & olim fuit, & adhuc hodiè est scandalum ac
lapis offendiculi, in quem sua culpa offendunt, impinguntque *I. Cor. I.*
23. *Judæi* pariter atque *Gentiles*, spissis ignorantix ac errorum tenebris in-
 voluti, omnia potius alia, quam Christum crucifixum cognoscere, & cor-
 di suo insigere præoptarunt, præoptantque. *Judæi* pariter atque *Gentiles*,
 Spiritu vertiginis acii, Christum crucifixum subsannarunt, subsannantque,
 doctrinam de æterna salute, per & propter Christum crucifixum obtinenda,
 pro stultitia, insania, ac corrupti cerebri figmento habentes, æstimantes,
 proclamantes, *Conf. B. Kortholci diss. de Christo crucifixo Judæis scandalo*

& Gracis stultitia. Cum olim Paulus Atheniensibus Christum crucifixum
 facundo proptinaret ore, mox echoadmodum durum resonabat: *Quidnam
 volet blaterator iste dicere? Act. XVII. 18* Lucianus ille notissimus, Ser-
 vatorem nostrum pro nobis crucifixum, ignominiae causa, appellat
 ἀνεσκαλοπιωμένον σοφιστήν i. e. palo suspensum Sophistam, nobisque
 adorationem ejusdem vitio vertit, in Dialogo de Morte Peregrini, Opp. p. m.
 277. Pagani namque, teste Arnobio Lib. I. adversus Genes, Christianis obver-
 tere audebant, Deos ipsis esse infestos, quod hominem natum, & (quod
 personis infame existit vilibus) crucis supplicio interemptum, tam DEum
 fuisse contenderent, quam superesse adhuc crederent, ac quotidianis precibus
 adirent. Conf. B. Sagittarii Harmon. Hist. Pass. Part II. p. 697. Hinc
 Lojolite in China, videntes, hanc de Jesu crucifixo Doctrinam Gentilium,
 agmini parum arridere, docuerunt Idololatrias, abnuentes credere in Chri-
 stum, quod Redemptor NON SIT CRUCIFIXUS, resurrexerit tamen, &
 gloriam caelestem intravit, hujus etiam participes facturum omnes, in eum
 credentes, Vid. B. Caroli Memorabilia Ecclesiastica Sec. XVII. Lib. IX. p. m.
 255. & B. Joh. Georg. Neumannii disp. de Missionariis Pontificiorum §. XV.
 XVII. Bone DEus, quæ est hæc perversa methodus, toti Scripturæ S. in-
 faciem contradicens! Annon sic in Jesuitas jure optimo quadrat illud Chri-
 sti Matth. XXIII. 15: *Va Vobis, hypocrita! nam circumcitis mare & aridam,
 ut faciatis unum Proselytum, & quum factus fuerit, facitis eum Filium Ge-
 benna, duplo magis, quam Vos estis.* Sane Paulus, Gentibus prædicans,
 nihil novit NB. inter eos, præter Jesum NB. crucifixum. Porro Judæi ca-
 dem, qua Gentiles, hic chorda oberrant. Soliti enim sunt, Jesum no-
 strum, pro nobis crucifixum, convitiandi animo, appellare יהוה i. e. su-
 spensum, uti legere est apud Buxtorffium in Lexic. Talmudic. col. m. 2596.
 Et ex infano Verporum choro R. Lipman in ספר נצחון i. e. Caro-
 mine memoriali, apud Wagenfeilium in Telis igneis Satana p. m. III. sequen-
 tem eructare audet blasphemiam:

הנתלה והנקבר ונשתנה מראיתו
 היוכל להציל דבר שלא נוצל ביום מותו

i. e. Num suspensus aliquis, sepultus, inque cadaver mutatus, rem ullam li-
 berare posset? (Num id præstaret), qui ipsemet in Die mortis sua liberationem
 nullam invenit? Conf. B. Wagenfeil, l. c. p. 204. Hinc quoque Apellæ, Ev-
 angelium, lætissimum de Christo crucifixo verbum, ignominioso nomine in-
 signien-

signifiantes, illud appellant: אֵין גִּלְיוֹן *Aven Gelson* i. e. *Vanitatem revelationis*. Utinam non *Fanatici* quoque ac *Enthusiasta* *JESU* crucifixo bellum inferrent, fidem facturi, *JESUM*, pro nobis crucifixum, nihil prodesse, plane & contra præsens *Pauli* dictum, & contra allud effectum *Rom. II. 32 34*. Conf. *B. Feehrii disp. de Christo in nobis Quæst. X. p. 11*. Sed alto *Christum* crucifixum supercillo contemnant hostes veritatis! Veri *Christiani* longe aliter cum *Paulo* animati sunt. Hi quippe non arbitrantur se aliquid scire præter *JESUM* crucifixum. Hinc *Ignatius*, *Amar meus*, inquit, *est crucifixus*. Hinc *Bernhardus Serm. 43. in Cantic*: *Hac mea, ait, est sublimior Philosophia, nosse Christum & hunc crucifixum*. Hinc *B. Mattheus Tragenius*, *Concionator in Saxonia aulicus*, *Symboli* loco eligebat verba *Pauli* egregia: *Non arbitrans sum scire quicquam inter Vos, nisi JESUM crucifixum*, electa verba perpetuæ cynosuræ instar per totum officii cursum, sibi proponebat, proposita autem in *Concione* funebri, ut *Textum*, explicari volebat, hæc fini, ut publicè innotesceret, se *Auditores* suos non nisi ad fontem *Salutis*, *JESUM* puta crucifixum, deduxisse, uti est apud *Bergmannum in tremenda mortis Hora Part. II. Cap. XXXI. n. 1. p. m. 1025. 199*. *Accedite jam, Cives optimi! Accedite!* Instat tempus passionale, quo *JESUS* *CHRISTUS* inter vos quasi crucifigitur, *Gal. III. 1.*, dum ignominiosissima mors crucis, quam in nostri *Salutem* ultro perpeffus est citroque, *Vobis* ob oculos ponitur, & per sex integram *Septimidarum* spatium tam ex *Veteris*, quam *Novi Testamenti* *Scriptis* inculcatur. *Ministrorum Verbz* est, nihil jam scire inter Vos, præter *JESUM* crucifixum. Quid ergo *Vestrum* est? *Vestrum* est, nihil discere, præter *JESUM* *CHRISTUM*, eumque crucifixum. Nam

Si *CHRISTUM* bene scis, satis est, si cetera nescis.


Si *CHRISTUM* nescis, nihil est, si cetera discis.

Vestrum est, benefacta *CHRISTI*, pro nobis crucifixi, cito expendere; *Vestrum* est, intima animi fiducia *Salvatorem* vestrum circumplecti. *Vestrum* est, eo omnem movere lapidem, ut pro tantis, quibus Vos *maclavit*, *beneficis*, *gratitudinem* vestram detis testatam, *gratitudinem*, consistentem in *agnitione cordis*, *deprædicatione oris*, ac *promptitudine operis*. *Nolite* *Comedones*, *Bibones*, ac impletatis nefandæ *Seclatores* vos præbere, nam sic *paternam DEI* *benevolentiam* amittetis, ac *pœnarum* *exquisitissimarum* rei evadetis. *Nolite* *CHRISTUM* de novo crucifigere, (ut *phrasi* *Pauli* loquar, *Ebr.*

Ebr. VI. 6.), eundem impiis cogitationibus ac consiliis, spurcis sermonibus, nefandis actionibus lædendo. Si vultis aliquid crucifigere, crucifigite vestras cupiditates pravas, ne exorbent, ne vos ad quævis flagitorum genera pelliciant, atque seducant, ita enim Gentium Doctor vos alloquitur Gal. V. 23. *Qui Christi sunt, carnem crucifigunt cum passionibus & concupiscentiis. Nequaquam vero existimetis, Quadragesimam simpliciter in nostra ecclesia esse abrogatam. Superstitiones tantum Papales, in jejunio inepto, vel potius delectu ciborum, eoque, si fabula vera est, merito, atque futile apparatus consistentes, rejicimus, abominamur. Tempus interim quadragesimale peculiari cultui divino apud nos est destinatum, recteq; collocandum, templa enim omnia passionis Dominica historiam referunt, Christiani ad memoriam Christi patientis, ad agendam penitentiam, & ad studium pietatis serio excitantur. Nam & Nos cum veteribus existimamus, Christianum non esse, qui per hos dies religiosior non invenitur. Commendatur frugalis & sobrius victus, cessant nuptia, aliaque solennia convivia, organa in templis, aliaque instrumenta musica, quasi in publico luctu tacent, loquitur cura B. Hildebrando de Diebus festis p. 55. Ergò, O Mei! observate monitum Pauli Rom. XIII. 12. sqq. : Nox transiit, dies autem appropinquavit. Deponamus ergo opera tenebrarum, & induamus arma lucis. Sicut in die compositæ ambulemus non comessationibus & ebrietatibus, non cubiculis & proterviis, non contentione & Zelo. Sed induite Dominum Jesum Christum, & carnis providentiam facite, ut non faciatis ad concupiscentias.*

P. P. sub Sigillo Rectoratus Dom.
 Quinquagesimæ ANNO
 MDCCXXII.





figmentes, illud appellant: אַבְרָהָם אֵלֶיךָ *Aven Gelson* i. e. *Vanitionis*. Utinam non *Fanatici* quoque ac *Enthusiasta* *JESU* crucifixum inferrent, fidem facturi, *JESUM*, pro nobis crucifixum, nihil & contra præsens *Pauli* dictum, & contra aliud effatum *Rom. Conf. B. Fechtii disp. de Christo in nobis Quæst. X. p. 51.* Sed a crucifixum supercillo contemnant hostes veritatis! Veri Ch aliter cum *Paulo* animati sunt. Hi quippe non arbitrantur se aliq *JESUM* crucifixum. Hinc *Ignatius*, *Amor meus*, inquit, est crucifixi hardus *Serm. 43. in Cantic: Hac mea, ait, est sublimior Philosophia, & hunc crucifixum.* Hinc *B. Mattheus Tragenius*, *Concionia aulcus*, *Symboli* loco eligebat verba *Pauli* egestia: *Non a scire quicquam inter Vos, nisi JESUM crucifixum*, electa verba per sura instar per totum officii cursum, sibi proponebat, proposita a cione funebri, ut *Textum*, explicari volebat, hæc fini, ut publicè le *Auditores* suos non nisi ad fontem *Salutis*, *JESUM* puta cru duxisse, uti est apud *Bergmannum in tremenda mortis Hora XXXI. n. 1. p. m. 1025. (99. Accedite jam, Cives optimi! Ac tempus passionale*, quo *JESUS CHRISTUS* inter vos quasi crucifigit dum ignominiosissima mors crucis, quam in nostri *Salutem* ultr eltroque, *Vobis* ob oculos ponitur, & per sex integrarum *Spatium* tam ex *Veteris*, quam *Novi Testamenti* *Scriptis* incu nistrorum *Verbi* est, nihil jam scire inter Vos, præter *JESUM* Quid ergo *Vestrum* est? *Vestrum* est, nihil discere, præter *JESUM* cumque crucifixum. Nam

Si Christum bene scis, satis est, si cetera nescis,
Si Christum nescis, nihil est, si cetera discis.

Vestrum est, benefacta *Christi*, pro nobis crucifixi, rite-expe strum est, intima animi fiducia *Salvatore* vestrum circumplec est, eo omnem movere lapidem, ut pro tantis, quibus Vos n fictis, gratitudinem vestram detis testatam, gratitudinem, e in agnitione cordis, deprædicatione oris, ac promptitudine o Comedones, Bibones, ac impletatis nefandæ *Sectatores* vos pr sic paternam *DEI* benevolentiam amittetis, ac poenarum exqu rei cyadetis. Nolite *Christum* de novo crucifigere, (ut phra

